



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XVII. Potentissimam dico. Quàm potens sit B. V. Maria politicis
argumentis adstruitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XVII.

Maria Dei Mater, potentissima Virgo est.

Tanta erat sanctissimæ Virginis Dei Matris gratia, & Exordium, ad tantæ sublimitatis gradum elevata est, ut pares cum Christo gratias ac favores à Patre cœlesti participasse non obscure videatur; sic enim felicissima, tam militans, quàm triumphans Ecclesia, quemadmodum omne bonum suum, omnem gratiam principaliter, & primariò habet à Christo, sic secundariò à Mariâ sanctissimâ ejus Matre adipisci non diffitetur, in quam Filius redempturus mundum, totum jus suum transtulit, cui etiam vel ipse Pater cœlestis, potestatem in cœlo, & in terrâ, quam Filio suo in terris tradidit, Matris quoque speciali privilegio communicare non dubitavit, quam proinde creaturarum omnium potentissimam Virginem, non sine singulari solatio, mundus expertus est; quod quamvis in Cantico suo ipsa Virgo, grato in summum benefactorem suum animo fateatur, dicens: *Fecit mihi magna, qui potens est.* Luca 1. cap. nos tamen erga magnam benefactricem nostram pariter non ingrati, Virginem potentissimam, gravissimis SS. Patrum Testimoniis comprobemus. *Fecit tibi magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terrâ, & nihil tibi impossibile est, cui possibile est, desperatos in spe beatitudinis relevare.* in gratiam perorat S. Petrus Damianus ferm. de Nat. Virg. *Data est ei omnis potestas in cœlo, & in terrâ, & in manibus ejus vita, & spes nostra.* testatur S. Bernardus. in Deprecat. ad B. V. *Rogamus te Domina, per ipsam gratiam, quâ te pius & omnipotens Deus sit exaltavit, & omnia tibi secum possibilia esse donavit.* supplicabundus se ficit S. Anselmus. de Excellent. B. V. cap. 2. *Intelligentia angelica est famula, super quam Domina sua Maria innititur in cœlo, tan-*

SS. Patres.

S. Petrus Damianus.

S. Bernardus.

S. Anselmus.

q 2

quam

S. Augustinus. S. Brigitta. *quam potentissima Angelis imperando.* recognoscit S. Augustinus in cap. 2. Cant. art. 8. S. Brigitta refert, Sanctos appellasse, & dixisse beatæ Virgini. *O Domina benedicta! tu portasti Dominum in te, & tu Domina omnium es: Quid est, quod non poteris? quodenim tu vis, hoc factum est.* tandem concludit B. Albertus Magnus in Bibl. Maria lib. Esth. Num. 1. *Commendatur beatissima Domina, à supremâ potentia, quam post Deum habet super omnes creaturas. Tuis ergo indignis famulis, potentissima Virgo gratiam Spiritus S. impetrare dignare, ineffabilem potentiam tuam dignis Conceptibus ponderandi.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio, seu Ductio. Benedixisse Deum volucres cœli, pisces maris, ac omnia animantia terræ, refert scriptura Gen. 1. cap. *Benedixit illis, dicens: crescite.* Luminaribus tamen firmamenti, nempe soli, lunæ, ac stellis, Deus non legitur benedixisse. An non animantibus nobiliores creaturæ, cœli sunt sidera? Cur ergo animantia Creator benedixit, sidera non benedixit? Rationem reddunt verba contextus citati, quod scilicet benedixit in sacris litteris sit idem, ac præstare augmentum, tribuere potentiam conferre; sidera augeri, vegetari, aut potentiora fieri post creationem Deus non voluit, & ideo non benedixit; at verò volucres cœli, pisces maris, ac animantia terræ etiam minima, crescere, robustiora, & potentiora exhibere desideravit Dominus, igitur divinam eis benedictionem largiri ipse dignatus est. *Largissimâ præ omnibus creaturis benedictione, præelectam Dei Genitricem Mariam Virginem, omnipotens Deus benedixit, eamque Legato angelico, benedictam in mulieribus, de cœlo salutari præcepit.* *Benedicta tu in mulieribus.* Lucæ 1. cap. quò maximam conluisse potentiam Virgini significaret. *Verè benedicta* (inquit S. Petrus Chrysologus serm. 143.) *qua divum germinis sacrum gloriam, quæ fuit major cœlo, fortior terra, orbe latior, non Deum, quem mundus non capit, sola capit, portavit eum,*

portat orbem, genuit Genitorem suum, nutrit omnia viventium Nutritorem. Uniformia sunt verba doctissimi Salmerni sic scribentis de Mariâ. *Virgo peperit, Patrem suum genuit, portantem se portavit, nutrientem se lactavit, vestientem se induit, servantem se custodivit.* O quam inaudita, quam incomparabilis est potentia tua! O potentissima Virgo Maria!

CONCEPTUS II.

Cujus imperio multa sunt subdita, ille à mundo potens nominari solet; sic potentissimus Deus est. *Mirabilis potentia ipsius.* Eccles. 43. cap. quia omnia ejus imperio subiecta sunt, canente Psalmista. *Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.* Psal. 23. Sed & idem æternus ac verus Deus incarnatus, Matri suæ in terris subditus erat. Teste S. Luca Evangelista cap. 1. *Et erat subditus illis.* quæ profundissima subjectio Filii Dei potentissimi, in stuporem trahit & admirationem, Doctorem mellissimum S. Bernardum, secum ipso enim ruminat. Homil. 1. super Missus est. *Deus, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Maria.* quasi quæreret, quid filium Dei patri æqualem moverit, ut Majestatem Divinitatis suæ Virginis Matris imperio humillimus subjugaret. Respondet Bernardo Bernardinus Senensis. serm. de Nat. B. V. cap. 6. *Ille enim, qui Filius Dei est, & Virginis benedicta, volens (ut sic dicam) paterno principatu, quodammodo principatum equiparare maternum, ipse, qui Deus erat, Matri famulabatur in terrâ: præterea hæc vera est: divino imperio omnia famulantur, & Virgo: & iterum, hæc est vera: imperio Virginis omnia famulantur, & Deus.* unde profundissime in suâ Carthusiâ conclusit Dionysius. de Laud. B. V. lib. 3. art. 8. *Jure ac merito tibi, ô præstantissima, ac speciosissima Domina, subicitur, ac obedit omnis creatura, cælestis, terrestris, ac intermedia, quoniam omnium Conditor Deus, tibi ut Matri fuit subiectus. & hæc ipsâ subiectione, fecit te Virginem potentissimam.*

CONCEPTUS III.

In aulis principum potentissimi censentur ii, qui regi-
proximè assistunt; Maria triclinium SS. Trinitatis, thesauraria gratiarum Dei, suprema præfectissa, ac Mater Unigeniti Filii Dei, consiliorum divinorum cancellaria, quem locum in aulâ cœlesti obtinuisse credimus? *Assisti Regem à dextris tuis.* canit regius Psaltes Psal 44. Adextris Dei collocata est, propinquissima Deo. *Ipsa namq̃ Cherubinos superans, ac supra Seraphinos evecta, propinqua Deo existit.* Iuxta mentem S. Joannis Damasceni. Orat. 1. de Nat. Virg. & secundu-
dum doctrinam angelicam S. Thomæ Aquinatis 3. part. quest. 27. art. 5. ad 1. *Beata Virgo Maria tantam gratia obtinuit similitudinem, ut esset propinquojissima Auctori gratia.* & definitur S. Epiphanio. serm. de Laud. Deip. *Deo excepto, Maria superior est.* Post Deum superior, ergo potentissima. In Confirmationem perorat S. Georgius Nicomediensis orat. de Deip. Virg. *Nihil tua resistit potentia, nihil tuis repugnat viribus, omnia cedunt tuo jussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tua potestati serviunt.* Omnia te Dominam potentiam deuinctâ subjectione recognoscunt.

CONCEPTUS IV.

Mysterium non exiguum latet in eo, quòd increata patris sapientia incarnari volens, cujusdam cœlestium angelorum suorum, & quidem primorum operâ, ad tam altum & ineffabile Sacramentum Incarnationis usa fuerit. Cur tam momenti negotium Nuntio tam excellenti recommendatum? Cur Josepho sponso suo non utitur, ad divinam voluntatem suam Virgini revelandam? Ut quid Archangelus Gabriel mittitur flexo Poplite legationem suam deponens? habere hic terræ hujus Principes, ut ad negotium magni momenti tam Principe, quem potentem existimant, pertractandum, suæ primum ministrum eligant in legatum, dictumque Principem legatione suâ solemniter honorare disponant: hinc

ad reddendam legationem conspicuam, & insignem debent concurrere, nimirum negotii pertractandi momentum, & pondus, potentia subjecti, ad quod legatio instituitur, & dignitas personæ, quæ in legatum eligitur, ut Principalem suum sufficienter repræsentet. Opus Incarnationis, quod S. Petrus Chrysologus serm. 43. vocat *negotium omnium seculorum*, cum Mariâ Virgine Reginâ cœlorum, Angelorum Imperatrice pertractandum erat, consensum ejus requiri oportebat, dignum ergo duxit supremus cœli, terræ quæ Monarcha, nobilissimum & præcellentissimum cœli Ephebum, Gabrielem Archangelum deputare, qui legatione divina solemniter fungens, Reginam suam Mariam Virginem potentissimam pro condigno veneretur. Conceptum hunc stabilis, & rationem legationis assignat S. Joannes Damascenus serm. de Dormitione Deiparæ! *Probabile est, & scripturis consonum, Michaelem, Gabrielem, Raphaellem cum aliis quatuor, esse ex ordine Seraphinorum supremo, inter hos Gabriel secundus, ad Virginem nuntius missus est, quæ dignitate, & gratiâ, cunctos Angelos antecellebat.* Quis nunc Mariam Virginem esse potentissimam, ultrò dubitare præsumat, cui vel ipse supremus rerum Dominus tantæ dignitatis nuntium, de cœlo transmittere non dubitavit.

CONCEPTUS V.

Potentissimam in aulâ Assveri Regis Persarum, Esther Reginam univèrsus populus decantaverat, quando *adamavit eam Rex Assverus plus quàm omnes mulieres. & posuit diadema regni in capite ejus, fecitq. eam regnare.* Esth. 2. cap. quando etiam super iniquè ab ambitiosissimo Aman delatum Populum Hebræum, conceptam Regis Assveriram, Regina Esther supplicabunda placaverat. An non Rex regum, & Dominus dominantium, plus quàm omnes mulieres Mariam Virginem adamavit, quando *benedictam in Mulieribus* salutari de cœlo præcepit? an non posuit diadema regni in capite ejus, quando eam coronâ gloriæ ineffabilis, in sua assumptione coronavit

vit

vit in coelis? an non fecit eam regnare, quando rerum omnium conditarum Domina, Mater Creatoris effecta est. Sic eam speculatur S. Bonaventura in Spec. lect. 5. *Est heri nostra Beata Maria tantam gratiam coram Rege aeterno impetravit, quod per hanc non solum, ipsa ad coronam pervenit, sed etiam generi humano morti addicto subvenit.* Et B. Albertus Magnus in Bibl. Maria. lib. Esth. Num. 1. *Potenter regnat, quia dominat, & tribuit cui vult, quantum & quando vult, & quocumque vult: dicitur ergo merito Regina potentissima.*

CONCEPTUS VI.

Ex opere creationis, de quo fuse scribit liber Genesis, omnipotentia Dei abunde potest colligi, ex creaturis enim Creator agnoscitur, & ex effectibus causa demonstratur; unde non inepte cecinit regius Psalter: *Caeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Pl. 18. Sed quomodo labore omnia fecit Dei omnipotentia? unico verbo, *Fiat*, fecit Deus omnia. *Fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. cap. de laude reliquis. Quanta potentia, verbo uno facere omnia! de votâ contemplatione jam, si lubet, Mariæ Virginis potentiam metire, cujus ab ore *Fiat* prolato, Patris *Verbum Caro factum est*, etenim eo ipso instanti, quo Virgo voluntati divinæ conlocutiens, Angelo respondit, dicens: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* de Spiritu S. concepit in utero, eodem instanti Filio Dei carnem suam, & sanguinem communicavit. *Fiat illud*, quo mundum Dei omnipotentia creavit, & hoc *Fiat*, quod Virgo Beatissima in annuntiatione protulit, statuens in bilanciæ æquilibrio S. Thomas de Villâ novâ Conc. 1. de Annunt. exclamat: *ô Fiat potens! ô Fiat efficax! ô Fiat super omne Fiat, perpetuo honore venerandum! hoc verbo Fiat factus est mundus, hoc verbo caelestia terrestriaq; Altissimus condidit; sed tunc Fiat non sonuit in orbe quale nunc tu Beata dixisti.* Effectus mirabiles, quos potentissimo suo verbo *Fiat* Maria produxit, S. Laurentius Justinianus considerans, ait: *Isto unico responsivo, implevit caelum gaudio, Angelis omnibus exultationem præbuit.*

capivo saculo spem dedit, daemones uniuersos exterruit, adstantem latum fecit nuntium, & detentis in inferno Patribus, libertatis gratiam repromisit. En quot effectus mundo caeloque acceptabiles Maria Dei Mater, unico verbo *Fiat* produxit, seque demonstravit creaturis omnibus Virginem potentissimam,

CONCEPTUS VII.

Magnum caeli luminare Solem à raritate effectuum, quos in abscondito terræ, marisque producit, non immeritò creaturam Dei aliis præpotentem nominamus; Sol etenim pretiosissimas Margaritas in abyſſo maris, & in profundissimis terræ visceribus aurum generat, & argentum, quibus thesauris à se prolatis, potentiam non exiguam, nobis repræsentat, tantòque magis se diffundit, quantò sæpius cælum gyrat. *Gyrum caeli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulavi, & in omni terrâ steti.* gloriatur S. Dei Genitrix Ecclesiast. 24. cap. Ad quid tanta Virginis commotio? ut potentiam suam incomparabilem nobis cum solatio & utilitate ostendat Virgo Dei Mater, ad instar solis, non tantùm in terræ visceribus, lumine gratiæ illuminat peccatores, in abyſſo delictorum consistentes, & à sordibus iniquitatum purgatos, in aurum Deo acceptum conuertit; verùm etiam de amarissimis purgatorii fluctibus liberatas Christi fideles animas, ad portum felicitatis æternæ, ut pretiosissimas Dei margaritas transponit. Profundè S. Bernardinus Senensis serm. 3. de nomine Mariæ. art. 2. cap. 3. *Beata Virgo etiam in regno purgatorii Dominium tenet, propterea inquit Ecclesiast. 24. in fluctibus maris ambulavi, scilicet visitans, & subueniens necessitatibus, & tormentis devotorum meorum.* Beata anima illa, quæ te inibi respicit Virginem Potentissimam, ô Maria!

CONCEPTUS VIII.

Sub figurâ virgæ, Dei Matrem depingit Isaias Propheta:

Egre-

Egredietur virga de radice Jesse, 2. cap. & flos de radice eius ascendet. Quid hic mysterii latet? Maria Virgo virga mystica, florem salvationis generatura, nascetur ex radice seu stirpe ac semine Jesse: Potentissima hæc virga est, non visâ, & perspectâ illâ, fugiunt dæmones, præsentiam eorum tartareorum agmina perferre nequeunt, sed auditâ illâ, vel inspectâ evanescent. *Virga virtutis Maria, contra inimicos infernales, quibus magnâ virtute dominatur.* ait S. Bernardus. Homil. super Missus. & S. Ephrem. Orat. ad Virg. *Maria in extremo vita articulo, miseram animam conservans, tenebris atq; horrendos pessimorum dæmonum aspectus, ab eâ procul repellit.* Hujus invictæ potentæ indubitatum reddentem testimonium, sermone angelico S. Brigittam libro Revelationum audiamus. *Super omnes etiam malignos spiritus, ipse Deus sic potentem effecit, quod quotiescunq; aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate implorantem impugnaverit, ad ipsius Virginis nutum, illi pavidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas suas, & misérias sibi multiplicari, quam eandem Virginis potentiam, super se taliter dominari.* Nunc proinde vel ipsis dæmonibus terribilis, quidni potentissima Virgo.

CONCEPTUS IX.

Primum mobile cæli, Mariam Virginem appellat S. Anselmus. Quænam est primi mobilis proprietas? dicunt Philosophi, omnem movendi potentiam, primo mobili principaliter adscribi, cui inferiora omnia in suo motu ad eum se ordinantur, ut moto primo mobili, reliqua omnia moveri oporteat; quod igitur cœlestes Incolas rapit, secum trahit, movetque, inter Angelos, & Electos, rectè primum mobile dici potest: piissima Dei, ac misericordiæ Mater, deos intercessione suâ potentissimâ, pro clientum sibi devotorum necessitatibus, Filium suum supplicando accedit, cuncta Angelorum, & Beatorum agmina secum trahit, movetque, eam sequantur, cum eâ supplicent, & necessarias Mariam

sodalibus gratias efflagitent, merito ergo primum cœli mobile appellatur, cujus potentia omnia cœlestium, terrestrium, ac infernorum agmina subordinantur. Verba S. Patris notatu digna recitemus; *Te Dominâ tacente, nullus orabit, nullus adjuvabit; te autem orante, omnes orabunt, & omnes adjuvabunt; si Maria extendit manum, Angeli omnes, Cherubim & Seraphim, cum Mariâ brachia extendunt, intercedunt, & auxiliantur.* Finem Conceptibus imponat S. Bernardinus Senensis, serm. de Nat. B. V. cap. 6. *Tot creatura serviunt gloriosæ Virgini Maria, quot serviunt Trinitati: omnes nempe Creatura, quemcunq; gradum teneant in creatis, sive spirituales, ut Angeli, sive rationales, ut homines, sive corporales, ut corpora cœlestia, velementa, & omnia, qua sunt in cœlo & in terrâ, sive damnati, sive beati, quæ omnia sunt, divino imperio subjugata, gloriosa Virgini sunt subjecta.* Ab eo utique, qui Mariam esse voluit Matrem, Virginem potentissimam.

Nos interim hortantem sequamur S. Bernardum, serm. *Epilogus,* super Signum magnum. *Amplectamur Maria vestigia, fratres mei, & devotissimâ supplicatione beatis illius pedibus provolvamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, potens est enim.* Amen.

Mundus clementem te, Virgo, scit, astra potentem,

*Et leo, qui rugit, te timet, atque fugit.
Set tibi subjecit, qui verbo singula fecit,
Sis homini clemens, dæmonibusq; potens.*

